



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 3. De Antiphona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. II.

De Hymno.

I. **H**ymnus *Iam lucis* semper dicitur, excepto triduo ultimo Sacrae Hebdomadae, & Octava Paschae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in §. 20. Rubricarum dicitur.

§. III.

De Antiphona.

I. **I**n Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs sumitur ex Psalterio; in Festis verò prima ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi propria in Officio de Tempore, aut Proprio Sanctorum assignetur. Per Octavam Paschae Antiphona *Hac dies*, sicut in alijs horis, loco consuetae Antiphonae recitatur, non tamen inchoatur ante Psalmos.

II. Nunquam omittitur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

III. Ab initio nunquam dicitur integra, sed tantum in fine ultimi Psalmi; & tunc tempore Paschali Alleluja additur.

§. IV.

De Psalmis.

I. **I**n Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs semper dicuntur quatuor Psalmi, & secundo loco inseritur Psalmus, qui in Psalterio ponitur, excepto tempore Paschali, ubi tres tantum Psalmi *DEVS in nomine, Beati, Retribue* dicuntur.

II. In Festis Duplicibus, Semiduplicibus, Simplicibus, & B. M A R I A E in Sabbato, etiam tantum iidem tres Psalmi recitantur, qui semper clauduntur per *Gloria Patri*, excepto Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

§. V.

De Symbolo S. Athanasij.

I. **D**icitur tantum in Dominica Trinitatis, & quoties de Dominica dicitur Officium ut in Psalterio. Hinc neque in Dominicis infra Octavam Nativitatis Christi, Epiphaniae, Corporis Christi, Ascensionis, nec in Dominicis